expertum est frequenter militancio eius insidiantes. Secunda locum ipsa quoque
corruptibilis huius infirmitate corporis impedimur ne voluntas nostra divine
valeat adherere. Nobis quidem quod molestum sentimus non potest non displicere
et frequenter in hijs voluntas nostra a divina dissidet voluntate, cum nec penitus
adversetur. Fortitudo est nobis necessaria que secunda species est virtutis. Nec
sola impedit affectio corporis impedit et concupiscentia quam multiplicibus
et inexplebilibus distrahimur desiderijs. Quando autem petit an sinceritas
sicut angelis plena voluntas et vita que rectissima est et omnibus modis in
distorta. Heu me domine deus quia undique in bella undique pericula undique im
pedimenta. Quacumque me vertam nulla securitas et que mulcent et
que molestant timeo et esuries et refectio et sompnus et vigilie et
labor et requies militant contra me. Divicias et paupertates ne dederis
mihi ait sapiens nimirum quia undique laqueus undique periculum. Et
si reprimit temperancia concupiscentiam hoc quippe in huiusmodi remedium est erit
quidem et vino carens non nulla sed plena non erit. Hinc et apostolus de se fate
tur. Ego ipse autem mente consentio legi dei, carne autem lege peccati. Ex parte er
go adheret et ex parte dissidet donec veniat quod perfectum est et quod ex par
te est evacuetur. Quarta est ignorancia que et ipsam nobis plurimum ob
esse non ignoratis. Quo enim pacto voluntate precium sequatur qui igno
rat eam. Cognoscere autem tantum ex parte et nondum sicut cogniti sumus. Pro
pterea querenda sunt nobis cum omni desiderio incrementa prudentie ut magis ac
magis nota fiat nobis domini voluntas sua ut sciamus quid acceptum sit ei
omni tempore. Sic virtutum consummatio unionem illam tam felicem tam desidera
bilem consummabit ut sit nobis cum deo una voluntas et quecumque ei placent
placeant similiter et nobis atque hoc nobis erit ut de angelis supradictum est
omnino perfecte condicionis. Oramus autem ut adveniat regnum dei quo videlicet nobis
plena sit de regno potentie securitas. Et autem petimus ut sanctificetur nomen
eius omnino super nos in eius notitia pervenire concupiscimus ubi nimirum nobis immo
bilis et felix securitas et secura felicitas in eum qui super nos est totam eam
spes vehementia concupiscimus. Sanctificetur nomen tuum. Nomen eius gloria eius
et illa quam non sentimus. Fieri in deo sanctum gloria eius cum in sanctitate glorificatur a nobis
sicut et voluntate que eterna est in nobis fieri petimus quod maximum est ut
nobis glorie illius innotescat sanctitas illibata. Exinde quod et nos spectat op
timum et regnum petimus propter securitatem et voluntatem eius in nobis per
fectionem propter condicionem. Sed quia necdum illa perfectione gaudentes non
sine magno labore divine possimus obtemperare voluntati opus est pa
ne cotidiano spiritus quoque aberrantes ab ea et delinquentes hoc est
delinquentes eam necesse pro indulgencia supplicemus dicentes. Dimitte
nobis debita nostra etc. At ne forte in eandem recidamus post acceptam
veniam protinus orandus a nobis idem ipse est ne inducat nos in tempta
tionem sed magis educat nos et liberet a malo. ‖ In quadragesima

## de Jeiunio.

Rogo vos dilectissimi tota devotione suscipite quadragesimale
ieiunium quod non sola abstinentia commendat sed multo magis sacra-
mentum. Nam si devote usque modo ieiunavimus utique hoc sacro tempore
ieiunandum nobis est multo devotius. Si quid enim additur ad solitum ab-
stinentie modum numquid non valde indignum est ut nobis onerosum sit quod
ecclesia portat universa nobiscum. Hactenus usque ad nonam ieiunavimus
soli nunc usque ad vesperam ieiunabunt nobiscum pariter universi reges et
principes clerus et populus nobiles et ignobiles simul in unum dives et
pauper. Hec ideo dixerim fratres ne quis forte nobis ex pusillani-
mitate spiritus et ieiunii pondere minori devotione suscipiat dum se fortasse
meminerit prioris quoque ieiunii pondus satis difficile tolerasse.
Hoc enim quantum potest laborat adversarius noster ut holocaustum no-
strum devotionis pinguedine vacuetur ut et minus acceptum sit deo et con-
scientia nostra in spirituali gaudio minus exhilaretur. Scit quippe de pusillanimitate
tolerantie etiam conscientie pusillanimitatis generari. Cuius astutias non ignoran-
tes tota observare adversus eum sollicitudine vigilemus. Et quia hylarem da-
torem diligit deus et ipsa quoque conscientia nostra ampliori ex inde fiducia suble-
vatur ut devotiora sint nostra ieiunia sollicite nobis totius ecclesie propo-
namus exempla. Sed quid de hiis loquor quos habemus in hac ieiuniorum
observantie consortes quasi non multo excellentiores habeamus in ea du-
ces primo et sectatores. Quanta devotione suscipiendum nobis est quod a sancto
Moyse tamquam hereditario iure traditur cum speciali pre ceteris prophetis pro-
gativa facie ad faciem deus loquebatur. Quanto fervore est amplectendum
quod Helyas ille commendat igneo curru raptus in celum. Erant enim qui
multa milia diebus illis qualis quodammodo mortis iniisse. Helyas tamen usque ad
hunc conservatione domino manifestavit. Jam vero si commendat ieiunium
preclarus Moyses et Helyas quibus magnum tamen conservi meruerunt. Cum commendat illud
ipse Christus dominus noster quadraginta et ipse totidem ieiunavit. Qualis ille est non di-
cam monachus sed christianus qui minus devote ieiunium suscipit quod ei tra-
didit ipse Christus. Denique tanto devotius est nobis dilectissimi Christi ieiu-
nantis exemplum quanto certius est pro nobis eum ieiunasse non pro seipso.
Jeiunemus ergo fratres et devote ieiunemus sancto hoc quadragesime tempore
ita same ut non ita dumtaxat quadragesimam nostram non solos quadraginta di-
es habere. Continuanda enim nobis est quadragesima cunctis diebus mise-
rie huius vite dum per auxilium gratie que in quatuor evangeliis commendatur
necesse est decalogum legis implere. Errant plane qui paucissimos di-
es istos ad penitentiam sufficere credunt cum totum vite huius tempus constet ad
nihil aliud institutum. Querite dominum ait propheta non solum quadragin-
ta diebus sed dum inveniri potest invocate eum dum prope est. Veniet enim
tempus cum invocandi tempus quando nemini proximus erit deus sed aliis quidem

pstras alius vero minus valde remotus. Interim sane ex eo quod perximus dum manifestum est quod nondum secutum et tamen habeo et invenire facile potest quis sibi videatur perximus fuisse et qui cadit in laqueos. Utique qui facit ergo eo innans. Ergo quia toto hoc tempore minus perximus quaerite dominum dum inveniri potest invocate eum dum prope est. Verumptamen post quadragesimam multo et nobis est fervore quaerendus quae non solum pars sed et sanctius est totius temporis huius. Propterea si forte diebus ceteris studia vestra aliquatenus intepuerunt dignum est ut nunc in fervore spiritus revalescant. Et si gula sola peccavit sola quoque ieiunet et sufficit. Si vero peccaverunt et membra cetera cur non ieiunent et ipsa. Ieiunet ergo oculus qui depredatus est animam ieiunet auris ieiunet lingua ieiunet manus ieiunet et anima ipsa. Ieiunet oculus a curiosis aspectibus et omni petulantia ut bene humiliatus arceatur penitens qui male liber vagabatur in culpa. Ieiunet auris nequiter pruriens a fabulis et rumoribus et quecumque ociosa sunt et ad salutem minime pertinentia. Ieiunet lingua a detractione et murmuratione ab inutilibus vanis atque scurrilibus verbis. Interdum quoque ob gravitatem silencii etiam ab his que videri poterant necessaria. Ieiunet manus ab ociosis signis et ab operibus omnibus que non sunt imperata. Sed et multo magis anima ipsa ieiunet a viciis et propria voluntate sua. Sine hoc enim ieiunio hec et cetera a domino reprobantur sicut scriptum est. Quia in diebus ieiunii vestri inveniuntur voluntates vestre. In quadragesima de eo quod scriptum est sanctificate ieiunium vocate cetum.

Quia ieiunii quadragesimalis tempus advenit quod tota devotione suscipere moneo caritatem vestram dignum itaque arbitror aliquatenus exponere quo fructu et quemadmodum oporteat ieiunare. Primum quidem fit pro eo ut ab aliquibus quoque licitis abstineamus ea nobis que prius commisimus illicita condonantur. Quid vero est commutare commissa nisi ieiunio brevi ieiunia redimere sempiterna. Gehennam quoque meruimus ubi nullus cibus est consolatio nulla terminus nullus ubi guttam aque dives postulat et accipere non meretur. Bonum est ergo et salutare ieiunium quo redimuntur eterna supplicia dum remittuntur peccata. Non solum autem abolitio est peccatorum sed exstirpatio viciorum. Non solum obtinet veniam sed meretur graciam. Non solum delet peccata preterita que commisimus sed et repellit futura que committere poteramus. Dicam vobis adhuc quod facile capiatis sepius nisi fallor experti ieiunium orationi devotionem et fiduciam donat. Et vide quemadmodum sibi invicem ieiunium et oratio faveant sicut scriptum est. Fratres adiuvantes se invicem ambo consolabuntur. Oratio virtutem impetrat ieiunandi et ieiunium graciam promeretur orandi. Ieiunium orationem roborat. Oratio sanctificat ieiunium et domino representat. Quid enim nobis ieiunium proderit si relinquatur in terra quod absit. Sublevetur ergo ieiunium pennis quodammodo duabus. Verum huic ne forte minus sufficiat alteram quoque necesse est ministrari. Oratio

iusti ait scriptum penetrat celos. Sit ergo ieiunium nostrum ut facile
celos penetret alis duabus orationis scilicet atque iusticie. Iusticia vero que est nisi
que cuique reddit quod suum est. Noli ergo quasi solum attendere deum de-
bitor es etiam prelatis et fratribus tuis. nec vult deus ut parvipendas quos
ipse quoque minime parvipendit. Neque enim sine causa ait apostolus providen-
tes bona non tantum coram deo sed etiam coram hominibus. Dicebas fortasse
sufficit mihi si tantum deus approbat quod ago quid mihi de humano curem iu-
dicio. Sed certum sit quod ei minime placet quicquid cum scandalo filiorum
eius et contra voluntatem ipsius feceris cui obedire te tamquam deo oporte-
bat vicario. Sanctificate inquit ieiunium vocate cetum. quid est cetum vo-
care nisi unitatem servare diligere pacem fraternitatem amare. Superbus ille
phariseus ieiunium habuit ieiunium sanctificavit qui nimirum et ieiu-
navit bis in sabbato et gratias egit deo. Sed non vocavit cetum dicens. Non
sum sicut ceteri hominum. ideoque una ala volitans ieiunium eius non pervenit in
celum. ‖ Vos ergo fratres lavate manus vestras in sanguine ‖peccatoris et omni- [margin: ‖agni]
no solliciti estote ut alas duas habeat ieiunium vestrum sanctimoniam scilicet
et pacem sine quibus nemo videbit deum. Sanctificate ieiunium ut puram inten-
tionem et devotam orationem illud divine offerat maiestati. Vocate cetum et con-
gregate unitatem. laudate dominum in tympano et choro ut concors sit mor-
tificatio carnis. ‖ Porro quia et de ieiunio et de iusticia aliqua diximus
dignum est ut de oratione pauca loquamur. Hec enim quanto efficacior est
si fiat ut debet tanto callidius impediri ab adversario solet. Inter-
dum enim gravius impeditur oratio a pusillanimitate spiritus et timore
inmoderato. Hoc autem tunc solet fieri cum sic cogitat homo propriam
indignitatem ut non convertat oculos ad divinam benignitatem. abys-
sus enim abyssum invocat abyssus luminosa abyssum tenebrosam abyssus
misericordie abyssum miserie. profundum namque est cor hominis et inscrutabile
Sed si magna est iniquitas mea multo maior est domine pietas tua.
Ideoque cum ad meipsum turbata fuerit anima mea memor ero multitudinis
misericordie tue et respirabo in ea. et cum introiero in potencias tuas domine memo-
rabor iusticie tue solius. Verumtamen sicut periculum est si fuerit oratio
nimis timida sic in contraria parte non minus immo et maius periculum est si
forte fuerit temeraria. De hiis qui sic orant audi quid loquatur ad
prophetam dominus. Clama ne cesses quasi tuba exalta vocem tuam et cetera. quasi
tuba inquit quia in spiritu vehementi increpandi sunt temerarii. Me etenim
querunt quia se per se nodum invenire. Nec hoc dico ut peccatoribus auferam
orandi fiduciam sed volo eos orare tamquam gentem que peccatum fecerit
non iusticiam. Orent pro indulgencia peccatorum suorum ut in corde contrito et
spiritu humilitatis quemadmodum publicanus ille. deus inquit propicius esto
mihi peccatori. Temeritatem enim dico quando is in cuius consciencia peccatum adhuc
aut vicium aliquod regnat ambulat in magnis et mirabilibus super se

nunquam sollicitus pro periculo animae sit. Tertium periculum est si sit oratio tepida
et non ex viva affectione procedens. Timida quidem oratio caelum non pene-
trat, quia restringit animum timor immoderatus ut oratio non dicam non ascen-
dere nec procedere queat. Tepida vero in ascensu languescit et deficit
eo quod non habeat vigorem. Nam temeraria ascendit sed resilit. Resistitur
enim et nec tantum optinet gratiam sed meretur offensam. Quae vero fide-
lis et humilis et fervens oratio fuerit caelum sine dubio penetrabit. Unde
certum est quod vacua redire non possit. || Item de triplici modo orationis.

Caritas qua pro vobis sollicitus sum fratres mei cogit ut loquar
vobis et urgente ea multo saepius loquerer nisi tam multis oc-
cupationibus impedirer. Nec mirum si sollicitus sum pro vobis
cum inveniam in memetipso materiam multam et occasionem sollicitudinis. Quo-
tiens enim propriam miseriam et multimoda attendo pericula haud du-
bium quin ad meipsum conturbet anima mea. Nec minor mihi sollicitudo est
pro singulis quibusque vestrum, si tamen diligo vos tamquam meipsum. Novit ipse
qui scrutatur corda quotiens in corde meo propriae sollicitudini praeponde-
rat sollicitudo vestri. Nec mirum si multa mihi est sollicitudo et timor mag-
nus conturbet me super omnibus vobis quos video in tanta miseria et in tan-
tis tot constitutos esse periculis. Ipsi enim ut manifestum est gestamus la- De periculis hominis ex parte carnis et maligni spiritus
queum nostrum nobiscum ubique, proprium circumferimus ~~...~~ inimicum carnem.
Hanc loquor de peccato natam, in peccato nutritam, corruptam nimis ipsa origi-
ne sed multo amplius pessima consuetudine viciatam. Haec est quae tam acri-
ter adversus spiritum concupiscit, caro quae assidue murmurat et impatiens
est disciplinae, quae illicita suggerit, quae nec rationi obtemperat nec cohibetur
ullo timore. Huic accedit, hanc adiuvat, hac utitur ad impugnandos
nos callidissimus serpens, cui nullum aliud desiderium est, nullum studium,
nullum negotium nisi effundere sanguinem animarum. Hic est qui cogitat,
machinatur mala, qui desideria carnis instigat, qui concupiscentiae ignem
naturalem producendo venenatis suggestionibus sufflat, illicitos motus
inflammat, peccati occasiones parat et mille nocendi artibus corda hominum temp-
tare non cessat. Hic est qui manus nostras proprio cingulo alliget et ut de
baculo meo nos cedit, ut caro quae data est nobis in adiutorium in ruinam
nobis et in laqueum fiat. Sed quid prodest indicasse pericula si nulla con-
solatio, nulla adhibeantur remedia? Grande quidem periculum est et gra-
vis lucta adversus domesticum hostem, maxime cum nos advenae si-
mus et ille civis. Ille suam inhabitet regionem, nos exules sumus et
peregrini. Magnum quoque discrimen adversus diabolicae fraudis as-
tucias tam crebros ymo continuos habere conflictus, quem nec videre quidem
possumus et quem nimis astutum facit tum natura subtilis, tum longa ex-
perientia malitiae huius. Verum primum in nobis est si vinci volumus et ne-
mo nostrum in hoc certamine deicietur invitus. Sub te est o homo ap

petitus tuus et tu dominaberis illius. potest inimicus excitare temptationis motum sed in te est si volueris dare seu negare consensum. In tua facultate est si volueris inimicum tuum facere servum tuum ut omnia tibi cooperentur in bonum. Ecce enim inflat inimicus desiderium tibi vanitatis aut impatientie agitationes ingerit aut excitat libidinis motum tu solummodo ne consenseris et quotiens restiteris tociens coronaberis. Verumptamen negare non possumus fieri molestum sed et periculosum. sed est et in ipso certamine si viriliter resistimus pax quedam tranquillitatis et conscientia bona. Credo etiam si cogitationes istas quam cito in nobis adverterimus non patimur remorari sed in spiritu vehementi animus adversus illas exsurgit quam citius ille confusus abscedet nec tam libenter illuc revertetur. Sed quis sumus nos aut que est nostra fortitudo ut tam multis temptationibus resistere valeamus. Hoc erat certe quod querebat deus. hoc erat ad quod nos perducere satagebat ut videntes defectum nostrum et quod non est nobis auxilium aliud ad eius misericordiam tota humilitate curramus. Propterea ergo vos fratres ut semper ad manum habeatis tutissimum orationis refugium de qua etiam paulo ante memini me in fine sermonis esse locutum. Verumptamen quotiens de oratione loquor verba quedam humane cogitationis audire in corde vestro videor que et ab aliis frequenter audivi et non numquam expertus sum etiam in memet ipso. Quid enim est quod licet numquam ab oratione cessemus vix unquam quando experiri videtur aliquis nostrum quis sit orationis fructus. Sicut ad orationem accedimus sic et redire videmur nemo nobis reddit verbum nemo quicquam donat sed laborasse videmur incassum. Sed quid dicit in evangelio dominus. Nolite iudicare secundum faciem sed iustum iudicium iudicate. Quid est autem iustum iudicium nisi iudicium fidei quoniam iustus ex fide vivit. Ergo iudicium fidei sequere et non experimentum tuum quoniam fides quidem verax est sed et experimentum fallax. Que est ergo veritas fidei nisi quod promittit ipse filius dei. Quecumque orantes petitis credite quia accipietis et fiet vobis. Nemo vestrum fratres parvipendat orationem suam. dico enim vobis quia ipse ad quem oramus non parvipendit eam priusquam egressa sit ab ore nostro ipse scribi eam iubet in libro suo et unum e duobus indubitanter sperare possumus quoniam aut dabit quod petimus aut quod nobis noverit esse utilius. Nos enim quid oremus sicut oportet nescimus sed miseretur ille super ignorantia nostra et orationem benigne suscipiens quod nobis aut omnino non est utile aut non tam cito dari necesse est minime tribuit. Oratio tamen infructuosa non erit. Ita sane si fecerimus quod monemur in psalmo idest si delectemur in domino. Ait enim sanctus David. Delectare in domino et dabit tibi petitiones cordis tui. Sed quid o propheta quod tam absolute mones delectari in domino ac si ad manum nobis sit huiusmodi delectatio. Delectationem tibi semper quietis et rerum que facta sunt novimus. Deus autem quam delectationem habet ut in eo delectemur. Fratres seculares hoc dicere possunt vos non potestis. Quis enim vestrum est qui non sepe

¶ De effectu orationis

expertus sit conscientie bone delectationem et qui non gustaverit saporem castitatis humilitatis caritatis etc. Non est hec delectatio ubi neque potest aut simplicius cuilibet esse. delectatio tamen est et maior omnibus illis. divina enim est et non carnalis delectatio et qui in hiis delectantur plane delectantur in domino. Sed fortasse causantur multi quod affectum huic delectabilem et dulcem super mel et favum minus experiantur. minime quod temptationibus iterum exercentur. Immo longe melius agitur si virtutes pares non pro delectatione quam experiuntur sed pro virtutibus ipsis et pro solo beneplacito dei toto intentione et si non toto affectione sectantur. Nec dubium quin opere compleat qui eiusmodi est prophete ammonitionem qua dicit delectare in domino quia non de affectu loquitur sed de exercitio. Affectus enim ille est beatitudinis exercitium vero virtutis. delectare ergo in domino. ad hoc tende ad hoc conare ut in domino delecteris et dabit tibi petitiones cordis tui. Sed considera quod petitiones cordis dixit quas approbat iudicium rationis. Nec habes unde murmures sed unde magis toto vel affectu in gratiarum actione verseris quoniam quidem tanta super te cura est deo tuo ut quotiens ignorans quod tibi inutile est non te audiat super hoc sed mutet illud utiliori dono. Sic et pater carnalis parvulo querenti panem libenter porrigit. querenti cultellum quo non necessarium putat non consentit sed magis ipse panem ei quem dederit frangit vel ab aliquo ministrorum frangi precipiat ut ille nichil inde habeat periculi vel laboris. ¶ Porro petitiones cordis in tribus generibus consistere nec video quid preter illa cuiquam sibi debeat postulare. Duo quidem huius temporis sunt idest bona corporis et bona anime. Tercium vero est beatitudo vite eterne. Nec miretur quis quod bona corporis a deo diximus esse querenda quoniam sunt temporalia omnia sicut et spiritualia bona. Ab eo ergo est petendum et sperandum nobis unde possimus in eius servitio sustentari. Verumptamen pro necessitatibus anime orandum nobis est et frequentius et ferventius idest pro optinenda gratia dei atque virtutibus. Sic et pro vita eterna toto pectore et toto nobis orandum est desiderio ubi in mentis et corporis et anime plena et perfecta est beatitudo. In hiis tribus vero cordis petitionibus sunt tria nobis sunt observanda. Nam et in prima quidem superfluitas et in secunda presumptionis et clamor medium subripere solet in tercia non modicum. enim spiritualia querunt solent ad voluptatem virtutes ad ostentationem sed et vitam eternam fortissis aliqui non in humilitate querunt sed presumptionem in fiducia suorum meritorum. Nec hoc dico quin acceptam gratiam fiduciam donet orandi sed non propter vel in ea confidunt quasi ipsum fiduciam impetrandi. hoc solum confertur hec prima dona ut alia maiora que tribuit hec sperent etiam ampliora. Sit ergo oratio que pro temporalibus est certa solis necessitatibus restricta. Sit oratio que pro virtutibus anime est ab omni cupiditate aliena et certa solum beneplacitum dei intendens. Sit ea que fit pro vita eterna in omni humilitate presumens de sola et digna

¶ Nota tria quibus est orandum

est ministratione divina. ‖ In initio quadragesime de peregrino et mortuo et crucifixo.

Obsecro vos tamquam advenas et peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis. Felices qui se presenti seculo tamquam advenas et peregrinos exhibent immaculatos se custodientes ab eo. Non enim habemus hic manentem locum sed futurum inquirimus. Abstineamus nos ergo a carnalibus desideriis que militant adversus animam tamquam advene et peregrini. Peregrinus siquidem via regia incedit non declinat ad dexteram neque ad sinistram. Et si forte litigantes viderit non attendit. Si nubentes aut choros ducentes aut aliud quodlibet facientes nichilominus transit quia peregrinus est et non pertinet ad eum de talibus. Ad patriam suspirat ad patriam tendit. Victum et vestitum habens non vult aliis onerari. Beatus plane qui sic se agnoscit sic deplorat incolatum dicens domino: Quoniam advena ego sum apud te et peregrinus sicut omnes patres mei. ‖ Magnum hoc quidem sed fortassis gradus aliquis altior est. Nam peregrinus etsi non admisceat civibus aliquando forte delectatur videre que fiunt aut audire ab aliis aut ipse narrare que viderit. His et huiusmodi etsi non penitus remaneat detinetur hic et retardatur dum minus memor patrie minus ardenter desiderat. Nam et interdum per hec dilatus ut iam non solum remoretur et minus toto veniat sed et remanens ex toto nec tarde quidem perveniat. Quis igitur est magis alienus ab actibus seculi quam peregrinus? Profecto quidem quibus dicit apostolus: Mortui enim estis et vita vestra abscondita est cum Christo in deo. Peregrinus nimirum potest facile consilium beatum plus quam oportet et detineri querendo et peregrinanti portando. Mortuus si desit ipsi sepultura non sentit. Sic vituperantes sicut laudantes sic adulantes audit ut detrahentes, immo vere nec audit quia mortuus est. O felix mors que sic immaculatum servat immo penitus alienum facit ab hoc seculo. Sed necesse est ut qui non vivit in se vivat Christus in illo. Hoc est quod dicit apostolus: Vivo autem iam non ego vivit vero in me Christus. Ac si diceret: Ad alia quidem omnia mortuus sum, non sentio, non attendo, non curo; si qua vero sunt Christi hec me vivum inveniunt et paratum. Nam si non aliud possim saltem sentio placere quod ad eius honorem fieri video, displicere que aliter fiunt. ‖ Magnus omnino gradus est iste, at fortassis potest aliquid adhuc superius inveniri. In quo ergo queremus? In quo ergo potius nisi in eo de quo nunc loquebamur qui raptus est usque ad tertium celum? Quis enim prohibet tertium celum dicere si quem gradum super istos poteris invenire? Audi igitur ipsum de tanta altitudine non se gloriantem sed dicentem: Michi autem absit gloriari nisi in cruce domini nostri Ihesu Christi per quem michi mundus crucifixus est et ego mundo. Non solum inquit mortuus mundo sed et crucifixus quod est ignominiosum genus mortis, ego illi et ipse michi. Omnia que mundus amat crux michi sunt: delectationes carnis divitie honores vane hominum laudes. Que

vero mundus reputatur cruci affixus sum illis adhereo ille toto a-
plectitur affectu. In non minori iste est secundo et primo gradu. Peregrinus si
prudens est et non obliviscitur sue peregrinationis licet cum labore pertransit
et non magnopere secularibus implicatur. Mortuus corpore blanda huius secu-
li sicut aspera spernit. Qui vero raptus est usque ad tercium celum crucifixus ille est
omne cum mundus diligit et hiis adheret que mundo cruci esse videntur.
Quamvis in hiis verbis apostoli illud quoque non incongrue potest intelligi cruci-
fixum et mundum reputatione ipsius vero mundo crucifixum compassione. Cruci-
fixum enim videbat sibi mundum obligationibus viciorum et ipse crucifigebatur
ei per compassionis affectum. Pensemus singuli in quo gradu quisque
sit positus et studeamus proficere de die in diem quia de virtute in virtu-
tem videbitur deus deorum in Syon. Maxime vero in hoc sancto tempore omni
obsecro puritate conversari studeamus ubi et certus et brevis dierum
numerus positus est. Nec desperet humana fragilitas. Nam fidelis nobis cum tempo-
re sollicitati estote omnino ad custodiendam puritatem in temptationis quas non
desperit. Nunc autem monemur brevi dierum numero omnes aliorum temporum neg-
ligencias emendare ut et sic gustemus dulcedinem perfecte puritatis et omni
deinceps tempore in quieta conversatione miri sancti huius quadragesime vestigia clara resplen-
deant. Convenimus igitur fratres sicut hoc tempus totum devotione suscipere et me
magis arma spiritualia arripere. Nunc enim generale quoddam totius orbis
exercitum christi imperium salvatoris aggreditur. Beati qui sub tali duce stren-
nue militarint. Toto siquidem anno domestica regis familia mi-
litat et assidua est in bellorum procinctu. Semel autem et certo tempore
universum imperium generalis congregatur exercitus. Felices vos qui domes-
tici meruistis esse quibus dicit apostolus. Iam non estis hospites et adve-
ne sed estis cives sanctorum et domestici dei. Quid ergo facturus sit qui
toto anno pugnare reperitur cum et ipsi ceteri et vix primus spi-
ritualia arma arripuerint. Utique solito amplius sollicite opus est
insistere pugne ut magna quedam victoria regi meo ad gloriam no-
bis proveniat ad salutem. || Sermo in natale sancti benedicti
de eo quod scriptum est Et erit tamquam lignum quod plantatum est etc.

Convenientibus vobis in unum ad audiendum verbum salutis mag-
nus michi timor est ne quis forte minus digne illud
recipiat et non sicut recipiendum est verbum dei. Scio enim terram
que sepius supervenientem in se recipit ymbrem si fructum non fecerit re-
proborum fore et proximam maledicto. Et ego utique si possum benedictionis
vobis dare mallem et non maledictionis. Primo non ipsam benedictionem celestis
utique patris verbi non mea qua cum ipso quidem dignitate accipitis per os
meum opto vobis benedictionem manere semper non in maledictionem possit ver-
ti. || Celebramus hodie magni nostri gloriosi benedicti natale pro eo vobis
et de eo solempnius ex more sermo debetur. Cum dulcissimum nomen